

tavi, si id quod benedicente Deo per multos labores tempora & sumptus acquisivi fratribus meis communicarem, & viam quam ego sum ingressus & qua ad hanc cognitionem perveni ostenderem, ut facis hujus splendorem sequi, ejusque ductu mysterium hoc visu deprehendere, ad ejus perfectionem pervenire, & proximo suo in ægritudine ejus benefacere queant, hacque ratione nomen Dei, in suis mirabilibus, magnum, per multos celebretur, & ad ipsum omnis boni Authorem redeat omnis laus & gloria, Amen.

CAPUT II.

DECLARATIO VIRTUTIS, PER QUAM ANIMA mineralis, aut Sulphur, à suo corpore debet separari.

SI fundamentaliter cognoscere cupimus, quo medio anima à auris & coagulatis corporibus metallicis, videlicet cupro, auro, ferro &c. debeant separari, investigandū nobis erit prius quo medio non solum sulphur commune, verum etiam mineralia sulphura, quæ semicoagulata sunt corpora, solvantur, ut per hanc cognitionem, tanquam per gradus, altiùs ascendere, & ad multò arctiùs coagulatorum sulphurum separationem nobis liceat pervenire.

Nam cum omnia metallica mineralia sulphura planè unius ejusdemque sint naturæ, & Philosophis Elementum ignis vocentur, & igneæ sint naturæ, necessario sequitur, ipsorum solutionem *Elementum ignis.* ex uno eodemque fundamento originem trahere, quia originis suæ ratione similem habent essentiã & naturam, non aliter quàm ut vir senex & recens natus infans unam habent substantiam, excepto eo quod unus altero perfectior est. Si itaque arctè coagulatorum sulphurum solutionem invenire volumus, indagandum nobis erit prius, ex quo fundamento & quo medio minora sulphura solvantur, hac enim via ego veritatem investigavi & inveni.

Si itaque primò percontemur, quid illud sit quod sulphur commune solvit, tunc invenimus, quod oleum & quicquid pingue est & igneam naturam habet, Sulphur tanquam suum simile *Sulphur com: oleo solvitur.* & igneã substantiã præditum solvat, & ejus aliàs absconditam sanguineo-rubram animam oculis nostris objiciat, quod licet res vulgaris & apud multos hodiè in praxi sit, tamen tantæ profunditatis & ponderis est, ut ex hoc fundamento, omnium animarum metallicarum ipsiusque auri solutio, uti audies posthac, oriatur. Idcirco si Philosophorum discipuli esse volumus, longè aliis quàm communibus oculis sulphur commune aspicere nos oportet, dum per coctionem cum oleo factam adeò remollitur,